UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

X. Iac. Sadoletvs Episc. Carpent. Ioan. Matthæo Giberto, Episc. Veronæ S.P.D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

X.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARPENT.
Ioan. Matthæo Giberto, Epiſc. Veronæ S.P.D.

LIBROS tuos accepi vna cùm literis: quorum vtrum fuerit mihi gratius, conſtituere ſatis non poſſum. Nam & literæ tuæ beneuolentiam, qua me complecteris, mihi declararunt: & libri virtutem animi tui, illam ipſam priſtinam, quam ego anteà in te cognoui: per quam tu ad illuſtrandas, & in honorem prouehendas optimas arteis ſemper fuiſti propenſus. Ac reliqua quidem duo volumina Damaſceni & Enthymij mihi grata, illud verò in Pauli Epiſtolas Chryſoſtomi peroptatũ etiam fuit. Quid enim mihi accidere potuit optatius, & rationibus meis magis accommodatum, quam cùm in eadem me exerceam palæſtra, in qua tantus vir tantopere inſudauit, habere me eum & monitorem, & magiſtrum, cuius doctrinæ & autoritatis neminem poſſit pœnitere? Qui cùm in omnibus operibus ſuis, quæ multa ſunt, vel penè dicam innumerabilia, & fluens ſemper ſit, & dulcis, & ſine labore cultus, ſine deliciarum ſuſpicione nitidus: tum verò in hoc opere ad ea ornamenta orationis, quæ dixi, neſcio quid plus grauitatis addidiſſe mihi viſus eſt. Cui ego palmam in intelligendis, ac enucleandis ſcripturis ſanctis, ſine vlla dubitatione tribuo. Proximus huic mea ſententia Auguſtinus: non ille quidem ingenio minor, nec ad ſcrutandum atque ad exponendum minus diligens. Sed Græcæ linguæ ignoratio, qua imperfecta Auguſtinus vtebatur, vim in eo maximi ingenij, tanquàm virgultis & vepribus impeditam aliquoties detinuit. Habeo igitur tibi, atque ago, pro iſto tuo munere, & animo erga me, maximas gratias. In quo enim me hortaris, vt in hæc præclara ſtudia incumbam, beneuolentiam tuam mihi oſtendis, in quo verò opitulare, etiam liberalitatem. Ego verò magno animo operam do, vt quod opus inchoaueram, id ad exitum perducatur. Sed totis hic quatuor menſibus valetudine aduerſa à ſcribendo fui retardatus, nunc valetudine recuperata, nõ committam vt vllum mihi tempus vacuum à literis prætereat. Quòd te multa deterreant, quo minus ſuſceptam iſtam prouinciam optimorum autorum in lucem edendorum ſuſtinere poſſe confidas: ego rem totam tuo iudicio examinandam relinquo. Illud tamen confirmo, nihil fieri poſſe præclarius, neque tuo nomini honorificentius. Meas epiſtolas tibi ſemper gratas accidere lætor: daboque operam poſthac, vt & ad te ſæpius, & liberiore animo ſcribam. Vale, & nos dilige. Carpent. III. Nonas Maij. M.D.XXXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN